

4

# BREVIS CONSPECTVS HISTORIAE ECCLESIASTICAE

IN QVO  
STATVS RELIGIONIS CHRISTIANAE ANTE ADVEN-  
TVM HVNNORVM IN VNGARIAM, VSQVE ADILLA TEM-  
PORA SOLVM, IN QVIBVS REFORMATIO LVTHERI COEPE-  
RAT, EXAMINATVR ATQVE BREVIBVS EXPONITVR

A  
LEONHARDO BARTFAI, VNG.

S. S. T. C.

NEC NON

M. O. S. O. L. R.



---

HALAE MAGDEBVRG. FORMIS HENDELIANIS 1771.

Hungar.  
660,2



V I R O  
PLVRIMVM REVERENDO, CLARISSIMO,  
DOCTISSIMO  
**M I C H A E L I K L E I N**  
AVGVSTANAEC CONFESSIONI ADDICTORVM  
IN ECCLESIA POSONIENSI  
PASTORI VIGILANTISSIMO  
OMNEMQVE FIDEM PROBARE INTENTISSIMO  
PATRI OPTIMO  
HONORATISSIMO CHARISSIMOQVE  
OCCASIONE  
DIEI EIUS TAM NATALIS QVAM ONOMASTICI  
GRATVM LAETVMQVE TESTATVRVS ANIMVM

H A S C E  
CONATVVM SVORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS  
SACRAS ESSE VOLVIT  
D E B V I T

F I L I V S O B S E Q V E N T I S S I M V S  
A V C T O R.

# Vir plurimum reuerende, Pater optime!

Tam multa tamque magna sunt TVA, Venerande PATER, in me amoris atque benevolentiae monumenta, ut, quod non TIBI acceptum ferendum sit, prorsus habeam nihil. Usque adeo per TE et spiritum traho, et TVO munere litteris consecratus traditusque sum, Viro Clarissimo nec non Doctissimo GEORGIO STRETSKO, cuius fidelis institutioni me omnia debere, hodierna luce palam profiteor. Vir enim est optimus ut cum Plinio loquar, et inter praecipua seculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, fuet, prouehit, multorumque qui aliquid componunt, portus, sinus, praemium, omniumque exemplum: ipsarum denique litterarum iam senescentium reductor ac reformator. Utinam pro merito aliquando Viri huius indefessum studium felicitatem meam promouendi compensare possem, ut vel exinde pateret, non in ingratum collocata fuisse beneficia. Excipe itaque iam PATER optime gremio TVO foetum, eumque primum, qui abs' primas duxit origines, TIBIQUE cultum ac quidquid n. se boni continere videtur, debet. Cerne praesentes, quos TIBI offero riuulos, qui que cum ex TVA scaturigine, DEO immortali ita iubente, progressi sint, rursus ad TE prolabantur. Quos si probatos acceptosque TIBI videro, erit sane quam ob rem mihi, non summopere tantum gratuler, verum etiam quodam veluti calcari concitatus, placere TIBI semper studeam. DEVIS TIBI concedat annos, viresque adhuc inumeras

— — — a TE nam caetera sumes,  
Sint modo virtutis, tempora longa TVAE.  
Vale et me imposterum paterno ut soles animo compleisti,  
non dedigneris. Dabam Halae propter Salam d. 14 Sept.  
A. R. S. 1771.



## PROLEGOMENA.



### §. I.

**R**em ecclesiasticam et religionis christianaē enarraturus faciem, sine omni technicae methodi dispositione, hunc ordinem tenebo simplicem, vt *primo* statum religionis in Pannonia ante aduentum Hunnorū ostendam. *Secundo* nonnulla de statu religionis post aduentum Hunnorū, usque ad suscep̄tam ab Vngaris religionem Christianam, exponam. His expositis, de statu religionis inter Vngaros post suscep̄tam religionem christianam, differam. Et vltimo statum religionis in Vngaria postquam reformatio b. Lutheri et in patria mea altas iam agere coepisset radices, lubens quidem explicarem, ni causae grauissimae adessent, quae mihi differenti, silentium imponerent.

A 3

SE-

---

## SECTIO I.

### STATV RELIGIONIS IN PANNONIA ANTE ADVENTVM HVNNORVM.

#### §. 1.

Ante Christum natum Pannones, ut caeterae gentes omnes exceptis Israelitis, idolomaniae dediti fuere. Christianae vero religionis semina, post natum saluatorem tempestive satis inter ipsos sparsa fuisse admodum est verisimile. Et sane, si non Apostolorum tempore, statim tamen post eos id factum est. Ad quos vero praecise annos initia illa purioris religionis, referenda sint, huc dum non constat.

#### §. 2.

Priusquam testimonia huc spectantia adducam, obseruandum generatim erit; *primo* quidem, cum a variis culta fuerit gentibus, non uno tempore nec eodem loco omnes Christo fuisse addictos verum successive tantum diuersisque in locis hoc factum esse. *Deinde* notandum, quod conuersio ista in partibus infra Danubium, Illyrico propinquis, initium coeperit, iis nimirum in regionibus, quae tum imperio romano parebant: quibus vero id factum auctoribus, in tanta obscuritate frustra quaeritur.

#### §. 3.

Testimonia ex quibus ea, quae dicta sunt, colligo, sunt potissimum sequentia. *Primo* S. Apostoli Pauli ad Rom. 15, 19. scribentis praedicasse se Euangeliū ἀπὸ Ιερεσαλήμ καὶ κύκλῳ μέχει τοῦ Ἰαλυρικοῦ. Illyrici vero nomine illa aetate veniebat Dalmatia hodierna, Croatia et Sclauonia. Quis vero jam negabit tantae lucis radios ex illis regionibus in vicinam quoque Pannoniam deuenisse? Adduci *secundo* solet testimonium JVSTINI MARTYRIS, qui saeculo

culo II. floruit, in dialogo cum TRYPHONE Iudeo afferentis: ne vnum quidem esse hominum genus, siue barbarorum, siue graecorum, et quoconque tandem nomine vocentur, apud quos preces et gratiarum actiones per nomen IESV non fierent. Sed haec rhetorice magis quam historice dicta quilibet me tacente facile colliget. Clarius est tertio testimonium TERTULLIANI qui circa finem saeculi II. floruit. Hic enim libro contra Iudeos c. 7. amplus retexendo catalogum earum gentium, quae Christo ea aetate nomen iam dederant, in illis Sarmatas, Scythes et Dacos quoque reponit. Sed et hic S. pater saepiuscule plus iusto rhetorici consuevit. Hoc tamen duplex testimonium patrum admitti potest, propter testimonium Pauli quod ab his illustratur. Praeterea etiam saeculo hoc II. allegari solet quoque testimonium

#### AGAPETHI I.

#### §. 4.

Sic etiam ad Seculum III. parum certi quoad tempus dici potest. Observanda tamen testimonia sunt, quae habentur. PHILOSTORGII nimirum in historia ecclesiastica l. II. c. 5. scribentis: *Scythes b. e. Gothos transistranos et Pannoniae finibus tunc degentes in solum Romanum transcendisse, omnibus longe lateque vastantibus, nonnullos quoque Clericos cum magna praecda domum reportasse, plebem adhaec piam, b. e. christianam captiuam cum barbaris conuersantem, non paucos eorum ad pietatem perduxisse, effecisseque ut christianam fidem amplecterentur.* Factum id imperante VALERIANO et GALLIENO est. Adnotandum secundo, quod in Decretis CORNELII Papae qui sub medium Seculi III. floruit, mentio fiat; DONATI episcopi Cibalorum in hodierna Bosnia, SECVNDINI episcopi Carporum, CRESCENTIS episcopi Curtensis. Curtam vero LAZIVS interpretatur Strigonium.\*

#### §. 6.

\* Vid. LAZIVM in tractat. de republica romanorum p. 940 — 949 — 954.

## §. 6.

Maior lux Pannoniae partibus affulsit Seculo IV. utpote quo SIRMIVM suos iam habuit episcopos. *Sanctus HIERONYMVS* parentibus christianis Stridone, quae ciuitas interioris erat Ilyrici natus est. Gothi quoque CONSTANTINO M. reguante, cum transmesso Istro romanorum primum prouincias vastarent, mox vero caederentur, quicunque rapti sunt Christo nomen dederunt.\* Sed haec de primis initiis Christianismi inter Gothos non sunt sumenda, siquidem sub initium seculi, suos iam habuerint episcopos, ut patet ex historia Concilii Nicaeni an. 325. celebrati, cui inter alios subscriptis THEOPHILVS Episcopus Gothorum.\*\* Si ergo episcopum iam tum habuerunt, non paucos ea aetate christianos inter ipsos fuisse necessum est, qui certe non simul et semel, sed per longum tempus successiue collecti sunt. De iisdem Gothis notandum et porro: quod cum AVDAEVVS Episcopus in Mesopotamia ob paradoxas opiniones in exilium ab imperatore CONSTANTINO missus fuisset, in Daciam Gothorum se recipiens, multos ex illis ad christianam religionem perduxit; quod factum est circa An. 343.\*\*\* VLPHILAS episcopus Gothorum floruit circa an. 369, qui nouum genus litterarum inuenisse et codicem sacrum in linguam Gothicam transtulisse dicitur.\*\*\*\* Hic est ille VLPHILAS, qui occasione legationis ad imperatorem VALENTEM suscepit, qui Imp. Arianis fauebat, eadem labe infectus est, suosque post reditum Gothos infecit Ariantismo.\*\*\*\*\*

SE-

INCHOFERVS annal. eccl. libro p. 14. qui LAZIVM bona fide transcripsit, nec tamen ullam mentionem eius fecit. Quae de suo addidit, sine censura non sunt admittenda.

\* Vid. MARTINI SCHMEIZELII Transylv. diss. de statu religionis Lutheranae in Transylvania. Jenae 1721 4. pag 9.

\*\* Ille idem pag. 10.

\*\*\* Ita Epiphanius haeresi XXX. et ex illo INCHOFERVS l. c. ad an. 343.

\*\*\*\* Vid. HEYPELI de Vlphila peculiarem dissert. Wittebergae habitam ut et SCHMEIZEL. l. c. p. 10.

\*\*\*\*\* Idem auct. l. c. p. 10 & 11.

## SECTIO II.

DE  
STATV RELIGIONIS INTER HVNNOS PRAECI-  
PVE ANTE SVSCEPTAM SECVLO X. AB VNGARIS  
RELIGIONEM CHRISTIANAM.

### §. 1.

Hunnos cum primum Europeis innotuissent, indololatriæ deditos fuisse constat inter omnes. Quod vero eo superstitionis progressi fuerint, ut statuas, animantia bruta mutaque colerent, nusquam legitur. Notari meretur, locus HERODOTI, vbi Scythis cultam praecipue esse dicit *Istn*, h. e. Deam Vestam, quod est ipsissimum *Isten* Hungarorum, quo nomine DEVVM compellare consueuerunt. Inducere hinc animum aliquis posset, Scythes illos Vngaros fuisse. Si haec ad Hunnos quoque referenda, ignem eos antiquitus coluisse, statuendum vtique est. Vesta enim, ignis DEA erat. Praeter hanc MARS atque HERCVLES, sacri illis fuere, atque hinc Marti cruenta mactabant sacrificia, VICTORIAE item, quam Martis esse rebantur, coniugem, sanguinem deuictorum, litare consueuerunt; id praecipue curantibus hariolis suorum, siue sacerdotibus quos ipsi, ut Persae *Magos* in consilia adhibuere, nihil quidquam suscipientes ardui, nisi audita prius illorum sententia, deliberassent.\*

### §. 2.

In horum vero hariolarum numerum cum idem doctissimus INCHOFERVS, ZENTAM, DICAENVM, COMOSICVM et ZAMOLXIN reponit, contra omnem id fidem facit historicam: cum harioli isti ex consensu omnium historicorum, inter Gothos seu Getas in Dacia

\* Vid. INCHOF. in app. ad annal. Eccl. p. 17 seqq.



cia degentes, longe ante Hunnorum in Europam aduentum celebres fuerint.\*

§. 3.

Quod de *Marte* ab Hunnis culto dictum, egregie illud illustratur, a PRISCO RHETORE. \*\* Nec parua illi potentiae accessio contigit, ex eo, quod Martis ensis erat detectus a rustico quodam inter arandum. \*\*\* Inuentus vero est an. 444. cum Sorosgos Hunnos ATTILA sub iugum mittebat. Hic gladius tanquam sacer et Deo, bellorum praefidi dedicatus, a Scytharum regibus olim colebatur et multis ante seculis non visus, bouis ministerio tum fuit erutus. \*\*\*\* Iste quidem gladius diu post ATTILAE tempora inter Hunnos superfuit, donec post susceptam ab Vngaris religionem christianam regis SALAMONIS mater, illum, duci Boioariae OTTONI dono daret. \*\*\*\*\*

§. 4.

Itaque Hunnos sub primo in Europam ingressu, paganos fuisse, nullum est dubium. Fidem interea tamen non superat quod INCHOFERVS euincere conatur, inuentos inter ipsos fuisse passim qui saltim sub finem seculi IV, Christo nomen darent. Saeuiebant Hunni in eos qui christiana sacra profitebantur, diripiebant aedes eorum sacras, immo nec a locis teatisque Antistitum sacrorum manus temperabant.\*\*\*\*\* Tentarunt Christiani, eisdem errores men-

tis

\* Conf. HERODOT. I. IV. p. 121. STRABO I. VII. p. 194. et I. XVI. p. 507. BONFINIVS Dec. I. libr. II. p. 23. HANERVS in hist. eccl. Transylv. I. I. pag. 17. SCHMEIZEL in dissert. de statu eccl. Luth. in Transylv. p. 8.

\*\* Vid. PRISCI RHETORIS de legationibus c. 1. §. 2. et de gladio Martis c. 2. §. 17.

\*\*\* BONFIN. Dec. I. lib. III.

\*\*\*\* IORNANDES de rebus Geticis c. 35. Calan. in Attila c. 3.

\*\*\*\*\* Si vera sunt, quae LAMBERTVS SCHAFNABVRG. narrat in chronico apud SCHOEDELIVM p. 220.

\*\*\*\*\* Fuisse IV. post Christum natum seculo, septem episcopatus non obscure col-

tis demere, et ad cultum summi numinis puriorem eos perducere, parum tamen videntur profecisse.\*

§. 5.

Sequitur nunc periodus Hunnorum, quos *Auares* vocabant. Horum partem an. 618. fidem Christianam Constantinopoli amplexam esse auctor est NICEPHORVS CALLISTVS. \*\* Sed praeter CALLISTVM de particularibus Auarum conuerzionibus varia scriptores in opere BYZANTINO commemorant. Quod ad recentiores attinet, sufficiat notasse, Magdeburgicos centuriatores; qui commemorant, CVSIDVM et CVPPAM, CVNIDIU Hunnorum regis filios, nomen Christo dedisse. \*\*\*

§. 6.

CAROLI M. cum Auaribus Hunnis bellum, ipsam quoque religionis inter ippos faciem mutauit. Nam cum Hunnos ad mon-

B 2

tes

colligitur ex EUGENII III. Pontif. Romani litteris ad episc. Pannoniae exaratis quas MELCH. GOLDAST. in comment. de iuribus et priuilegiis regis et regni Bohem. in appendice documentorum num. II. edidit. Florebat vero imprimis Syrmiensis et Myrtiensis episcopatus. Vid. THEODORET. hist. eccl. I. II. c. 8. 22. l. 4. c. 8. 9. Polensis episcopatus mentionem facit. M. Aurel. Cassiod. VARRO l. 4. ep. 44.

\* Vid. S. HIERONYMI epist. ad Laetam, in qua, dum varias gentes quae sua aetate, Christo nomen dederunt, recenset, Hunnos eisdem adnumerat. Ibidem etiam dicit: *deposit pharetras Armenius, Hunni Psalterium discunt, Scythae frigore feruent calore fidei.* Quanquam enim haec concionatorie magis dicta videntur, omni tamen verisimilitudine defraudari non possunt. HIERONYMO adstipulatur PONTIVS PAULINVS, sub finem sec. IV. clarus, qui in poemate, de Nicaetae in Daciam reditu scribit: *Multa ex Hunnis illa aetate ex Asia, in Daciam inventes, opera S. Nicaetae conuersi sunt.* Vid. praeterea SOZOM. L. VII. c. 25. et OROS. libr. VII. c. 41. INCHOFERVS l. c. ad an. 398. Quae SZENT-IVANI in diff. Paralipomena rerum in Vngaria gestarum an. 1699. publicata, de particularibus in Vngaria conuerzionibus habet, incerta sunt nee conueniunt cum illis, quae Miscellaneorum Tom. I. Synopsi 8. de initii propagationis fidei christianaë §. 2. dixit.

\*\* Vid. eiusd. hist. eccl. I. I.

\*\*\* Cent. 8. c. 2.

tes BVDAE obfessos fame coegisset, vt deditioñem facerent, eos qui christianam fidem sunt amplexi, vita, fortunis et libertate donauit, cum reliquos omnes bonis multaret, nec ipsis vitam superstitem relinqueret. Ac licet exigum, illorum numerum Christo affereret, amplificandae tamen religionis gratia destructis Auarum idolis templum ibidem exstruxit in honorem B. Virginis, constitutis ad illud quoque sacerdotibus. Idem in insula fecit Danubii ad quam Hunni sese receperant.\*

### §. 7.

Ao. 795. THVIDVINVS Hunnorum regulus ex partibus Tibisci ad CAROLVM M. Aquisgranum venit, se suaque CAROLO dedit, christianaque religione initiari permisit.\*\*

## SECTIO III.

DE

### STATV RELIGIONIS INTER VNGAROS POST SVSCEPTAM RELIGIONEM CHRISTIANAM.

#### §. I.

Cum liquido non conster, Hunnos, veteres Vngaros, sole vero meridiano clarius sit, Auares diuersam ab virisque gentem fuisse; rem ecclesiasticam quoque in vna quavis gente seorsim necessario spectare debuimus. Et hactenus quidem, quo loco inter Hunnos et Auares fuerit, considerauimus, nunc Vngarorum quoque religionem post susceprum christianismum videamus. Qualis enim ratio colendi Deum, antea apud ipsos obtinuerit, non constat;

\* Vid. AVENTINVS in annal. Boiorum l. IV. et BONFIN. Dec. I. l. 9. p. m. 94.

\*\* Testatur id CALVISIVS in chronol. Conf. auct. fasciculi temporum ad an. 794. INCHOF. ad an. 795. l. c. vbi plura tradit de hoc Thuduino, siue Thudone, siue S. Theodoro. Conf. OTROKOCZVS in origin. Vng. part. I. p. 238.

stat; nisi quod idololatram fuerint certum sit. Iurisiurandi sacramentum per animantia quaedam praestabant, sacrificarunt iuxta puteos, ad arbores, fontes et lapides oblationes fecerunt, id quod S. LADISLAI demum temporibus tantum abrogatum, si modo abrogari penitus potuit.\*

### §. 2.

Vt ordini hac in sectione III. litemus, religionem Christianam considerabimus, *nascentem, crescentem, decrescentem, renascentem*, a superstitionibus obscurorum seculorum *contaminatam, seu deformatam, et tandem a superstitionibus repurgatam seu reformatam.*

## C A P V T I.

### DE RELIGIONE CHRISTIANA NASCENTE.

#### §. I.

Nascens ecclesia fuit sec. X. sub GEYSA duce Hunnorum, qui circa an. 969. aut certe 971. fidem Christianam amplexus, atque ab ADALBERTO episcopo Pragensi salutari fonte ablutus, cultum veri numinis, abrogata superstitione propugnare, suosque inter propagare coepit. Doctores itaque e vicinis regionibus arcessiuit, quibus gentem suam instituendam commisit. In his doctoribus primas tenet S. PILGRINVS, episcopus Laureacensis, deinde eccliae Archiepiscopus, a quo, sociisque eius, multa Hungarorum

B 3

millia

\* Vid. Decret. I. Ladisl. c. 22. 25. Conf. Capitula Synodalia Archiepisc. Lauren-  
tii Strigon. Metropolit. inter decret. Colomanii regis tit. de ritu gentilitatis.  
Conf. S. STEPHANI Decret. II. c. 31. 32. Vid. KEYSLERI antiquitat.  
septentr. p. 13. et p. 60. Conf. wöchentliche Anzeige in Halle, ad mi. 1736.  
Nro. I. allwo der hr. Ranzler von Ludwig sehr schön von Fontinalibus,  
Fontanilibus, Fontilibus oder Bronnenseyer der Römer, der Deutschen,  
Hinden und Christen handelt.

millia baptizata sunt. \* Extructa hinc certatim templo, praefecti  
vrbibus et oppidis doctores, qui plebem ab idolatria ad Chri-  
stum ducerent. Proceres quidem nonnulli acriter his GEYSAE in-  
stitutis repugnarunt, ille tamen partim pietate, partim auctoritate  
et armis seditiosos repressit, ita ut armis pedetentim neglectis in  
ciuili vita mitescerent, pacemque finitimi cum gentibus colerent.  
Quamuis impedire haud potuerit, quin cultus idolorum praefer-  
rim inter nobiliores passim exerceretur. Ad hos tam paeclaros  
conatus vtrum GEYSA, apparitione *S. Mariae*, vel *S. Stephani*.  
Protomartyris adductus fuerit, ut nonnulli volunt, nos meliora  
edocti, Iudeo Apellae credendum relinquimus. \*\*

### §. 2.

Ita quidem initia Christianae religionis comparata fuisse vul-  
gus historicorum testatur, sed vel *evangelio*, quibus narrationes  
ipsorum totae scatent, nec non et fabulae, quibus vniuersum illud  
conuerzionis negotium incrustarunt, suspectam illorum fidem red-  
dunt. Plus itaque Graeci hac in parte scriptores fidei nobis me-  
reri videntur: \*\*\* propterea quod rem, primum, sine partium stu-  
dio,

\* Videantur Auentini annal. Boiorum. l. IV. INCHOFERVS l. c. ad. an. 912.  
LAMPII historia eccl. reformat. in Vng. & Tranlyv.

\*\* RANZANVS indice 8. BONFIN. Dec. II. l. 1. p. 125. INCHOF. l. c. ad  
an. 979. qui tamen, in quibusdam circumstantiis discrepat a BONFINIO.  
Conf. etiam chartaceus ille CHARTVITIVS, in vita eius S. Stephani, quae  
deprehenditur in Bongarsii scriptoribus rerum Vngavicarum.

\*\*\* Primus qui genuina eius initia protulerat, conuerzionemque Hungarorum  
ecclesiae Orientali adscriperat, et a dubiis fabulosisque narrationibus repurga-  
uerat, erat Vir Sumine Venerandus GODOFREDVS SCHWARZ Rintelensis  
Academiae Professor primarius, in dissert. eius, quam sub nomine ficto an.  
1740. 4. Lips. ediderat, sub tit. *Initia religionis christianaee inter Vnga-  
ros ecclesiae orientali adserita* &c. auctore Gabriele de iuxta Hornad. Hung.  
Opposuerant se doctae huic sententiae, PETERFY, STILTING, PRAY et  
KAPRINAY, quibus etiam primo KOLLARIUS in histor. diplom. l. 1. c. 46.  
se

dio, sineque fabulis enarent: deinde, quod admissis eorum testi-  
moniis, conuersio illa Vngarorum planissime explicari possit. Hos  
ergo si audiamus, religionem Christianam ex Vngarorum ducibus  
primus amplexus est BOLOSVDES quidam, quod nomen consentit  
cum nomine BVLTKONIS illius, quem cum reliquis ad patibulum  
egit OTTO I. Imp. Idem sane de BOLLOSVDE graeci scribunt, re-  
scidisse nimirum illum pacta quae cum Deo inierat, factumque rur-  
sus apostatam, in romanos expeditionem fecisse, quod cum etiam  
contra Francos tentaret, captus et ab eorum rege OTTONE in  
crucem actus est. Contigerunt haec sub CONSTANTINO PORPHY-  
ROGENETA post relegationem Romani LACAPENI an circiter 950.\*

### §. 3.

Sed proprius ad rem. Non multo post BOLOSVDEM, secun-  
dum ZONARAM, eodem fere tempore Γυλας et ipse dux partis cu-  
iusdam Vngarorum, eiusdem rei caussa Constantinopolim se con-  
tulit, baptizatusque, et a CONSTANTINO, aequa ut BOLOSVDES,  
patricii dignitate, magnisque donis ditatus ornatusque domum re-  
uertit, abductoque secum Monacho HIEROTHAEO nomine, \*\*  
pietatis fama celebri, quem Vngariae episcopum THEOPHYLACTVS  
Patriarcha designauit, qui ut in Vngariam venit, multos a barbaro  
errore, ad Christianam religionem traduxit. At GYLAS quidem  
in fide permanxit, et neque ipse in romanos impressionem fecit,  
sed captiuos christianos etiam emens curauit, libertatemque illis  
reddidit. Iam vero GYVLAE s. GYLAE filiam in matrimonio ha-  
buit GEYSA, SAROLTAM dictam. \*\*\* Quis ergo est, qui dubitet,

femi-

se associauerat, mox tamen meliora edocitus, sententiam SCHWARZII ambabus  
ut ita dicam manibus amplexus est.

\* Vid. SCYLITZES p. 636. edit. regia Parisiensis. Item IOANNES ZONARAS  
p. 194. Tom. II. edit. regia Parisiens.

\*\* SCYLICZES l. c.

\*\*\* ANONYM. BELAE R. notar. c. 27. THUROcz P. II. c. 5.



feminam hanc electum id temporis Deo vas fuisse, per quam ipse primum maritus GEYSA, mox domus regia, reliqua hinc gens Christo adduceretur. Nullis ergo fabulis opus est, et haec cum rei veritate consentire, dubitare nos haud sinunt, ritus nonnulli graeci, in veteri religione Hungarorum obuii, regia auctoritate S. LADISLAI confirmati, ut; ratio ieiunandi, et alia.\*

## CAPUT II. DE RELIGIONE CHRISTIANA CRESCENTE.

### §. I.

Crescens ecclesia religioque Christiana fuit sub finem sec. X. et initium XI. quo tempore Vngaris praeerat S. STEPHANVS, GEYSAE filius, Vngariae rex primus. Hic enim opus a parente coeptum, adiuuante eum maxime HENRICO II. Imp. Occidentis, cuius sororem GISELAM in matrimonio habebat, feliciter absoluit. Templa et monasteria multa, regia plane munificentia extruxit, episcopatus et abbatias erexit, totamque fere gentem Christo asseruit, cuius caussa Hungarorum etiam Apostoli nomen meruit, regnumque hinc eius *Apostolicum* dictum.\*\* Nec attinet enarrare prolixius, quae Legendarii, de singulari STEPHANI pietate, visionibus atque miraculis, cultu erga B. Virginem Mariam longo syrmate eloquuntur,\*\*\* suis recte fabulatoribus relinquuntur. Quorum primipilus CHARTVITIVS est, si modo a LAVRENTIO SVRIO primo eius editore non suppositus aut certe interpolatus est.

### §. 2.

\* Vid. decret S. LADISL. &c. Et notasse operae pretium est STEPHANVM et EMERICVM graeca gessisse nomina.

\*\* Legi haec possunt apud THUROCZIVM, BONFINIVM aliisque.

\*\*\* CHARTVITIVS in vita S. Stephani. CZWITTINGERVS in historia eius litteraria p. 1. 2. 3 seqq. qui omnia bona fide legendariorum sine ullo iudicio assumferat et collegerat.

## §. 2.

Quia vero conuersio Vngarorum in tristissima tempora incidit, quibus non tantum litterae elegantiores procul exulabant, sed ipsa quoque religio prauis antistitum moribus turpiter contaminata fuit, \* addimus nos, ipsa etiam dogmata, superstitionum mole, maximopere obfuscata fuisse; in haec inquam tempora conuersio Vngarorum ad religionem christianam incidit, facile inde iam colligere licet, haud adeo laetam eius faciem fuisse. Negari enim nequit, ipsum regem STEPHANVM mitrae sacerdotali, vitae monasticae, defunctorumque sanctorum meritis et deprecationibus plusulum iam tribuisse. \*\*

## §. 3.

Quamuis vero christianismus ille Vngarorum non mere Apostolicus, sed multis erroribus et traditionibus humanis pro ruditate seculi interpolatus fuit, puriorum tamen multo doctrinam ab Vngaris nostris acceptam primitus esse, quam quae nunc viget, facile probari potest. Id vero sine dubio Romanensium, quam graecorum sacerdotibus acceptum ferri debet. Audiamus enim qua ratione S. STEPHANVS rex ad ducem EMERICVM filium suum, dirigens orationem, scribat. \*\*\* *Fides inquit, de qua loquor haec est &c. haec est fides catholica &c.* immo legatur totum hocce decretum, nihil in eo reperies de cultu sanctorum, de cultu speciatim B. Virginis Mariae, cuius tamen apud Chartuitum plena sunt omnia, nihil de obedientia et veneratione romano pontifici praestanda, de qua tamen perorat CHARTVITIUS. Quid quod palmarium

\* Patentur id scriptores ipsi Pontificii BELLARMINVS & BARONIVS.

\*\* Testatur id priuilegium Proto-Abbatiae S. Martini in S. monte Pannoniae sodalibus S. Benedicti, tributum. Exstat id ad calcem BONFIN. editionis WECHELIANAE.

\*\*\* Decretum S. STEPHANI, c. I. 2.

C

marium illum Romanae ecclesiae locum Matth. 16. Tu es petra et super hanc petram, &c. quo pro adstruenda absoluta pontificis romani potestate vtuntur, non de Pontifice Romano, sed de Christo exertis verbis explicet.\* Notari et illud meretur, quod sanctus ille rex sua propria auctoritate episcopatus et Abbatias fundauerit, quibus voluit contulerit, quod tamen hodie sacrilegium vocat ecclesia romana et inter mortalia peccata recenset. Nec praetermittendum quod in synodo seu concilio apud Saboles coacto an. 1092, rex ipse illius temporis S. LADISLAVS praesidem egerit, quamuis in ea synodo de solo fere Clero et rebus ecclesiae actum fuerit,\*\* cum hodie non ad reges ius indicendi synodos, eisque praesidendi, sed ad Romanum pontificem pertinere ecclesia romana statuat.\*\*\* Addimus etiam ea, quae CHARTVITIVS tradit, scripturam sacram diligenter, a S. STEPHANO lectam esse.\*\*\*\* Praeterea suis etiam grauiter iniunxerat Vngaris obseruationem diei dominicae, de festis vero sanctorum nulla prorsus in decreto eius secundo fit mentio. In decreto demum tandem S. LADISLAI primo, plures aliae feriae designantur et ad celebrandum iniunguntur.\*\*\*\*\*

## CAP.

\* Eiusd. decret. c. 2.

\*\* Occurrunt his in legibus synodalibus quaedam prorsus singulares, ex quibus potestas regis in sacra aliqua iura eius colligitur.

\*\*\* Vid. bullam inductionis Concilii Tridentini. add. BELLARM. l. 2. de pontif.

\*\*\*\* Vid. CHARTVITIVS in vita S. Stephani. Et BONFIN. l. c. Dec. II. p. m. 172.

\*\*\*\*\* Vid. Decret. I. S. LADISL. c. 36. et 37.

## CAPUT III.

## DE RELIGIONE CHRISTIANA DECRESCENTE.

## §. I.

Decrescere vero iterum coepit religio Christiana inter Vngaros dum contra PETRVM sic dictum ALLEMANNVM ex vicina Polonia proceres regni euocarent, ad suscipiendum regnum ANDREAM et LEVENTAM filios LADISLAI CALVI, hac cum lege conditioneque ut cultum barbarum scythicum, priscaque pagana instituta restituerent. Fratres hi cum aliter regnum se adipisci haud posse sentirent, postulatis assensere.\* Assensu igitur impetrato FARTA aliis VATTA quidam, Christianam religionem eiurauit, cuius exemplo mox etiam reliquus populus defecit, inde in omnes christianos, cum primis vero episcopos septem, multosque alios eminentiores viros sacri ordinis crudeliter desaeuiit: tempa et coenobia passim subrata, ornamenta direpta, ac diis gentilibus consecrata. Verbotam trifitis vndique facies fuit, vt Christiani nominis memoria fere interciderit.\*\*

## C 2

## CAP.

\* Vid. ALOLD. de PEKLARN ad an. 1046. ANDREAS et LEVENZA, ad idolatriam proni, regnum a suis similibus sibi oblatum, capiunt. Antesignanus eorum qui in rem christianam detendam conspirauerat, et sacris viris summo in honore positis manus auferebat, erat VATTA dux. GERHARDVS qui virtute hac incomparabili mirifice inclinuerat, tempestatem hanc animo praecuidisse, praedixisseque dicitur.

\*\* THUROCVS l.c. P. II. c. 40. Qui saevas manus popularium effugerant, dicuntur esse MAVRVS. Quinque ecclesiensis, MODESTVS Iaurinensis et NEEMIAS paullo post ad Strigonensium promotus Pontificatum. Idem l.c. c. 43. PETERFY in Concil. R. Vng. T. I. p. 11 sqq. BONFINIUS Dec. II. l. 9. p. m. 1034. INCHOF. l. c. ad an. 1046.



**C A P V T I V .**  
**D E R E L I G I O N E C H R I S T I A N A R E N A S C E N T E .**

§. I.

Non diu tamen haec ecclesiae facies durabat; statim enim cum morte promotoris paganismi LEVENTHAE an. 1048. renasci coepit. Eodem enim exstincto, ANDREAS frater, christiano cultui ex animo addictus, vbi se firmum tenere imperium videret, folusque imperaret, hostibus christianis intrepidus se obiciebat, et sententiam quam paganis Vngaris, spe potiundi regni ante indulserat, abrogauit penitus. E contrario vero in fauorem religionis Christianae edictum per regnum promulgauit vniuersum, ac partim praemiis, partim poenis constitutis, id, diuina gratia auxiliante effecit, ut vniuersus fere populus ad rectum Dei cultum reducetur.\*

**C A P V T V .**

**D E R E L I G I O N E C H R I S T I A N A , S V P E R S T I T I O N I B V S O B -**  
**S C V R O R V M S E C V L O R V M C O N T A M I N A T A ,**  
**S E V D E F O R M A T A .**

§. I.

Atque ex hoc tempore, firmas in Vngaria radices Christiana egit religio. Sollicitabant quidem nonnulli posthaec BELAM. I. eam ut denuo exscinderet, sed rex conducto exercitu nefarios illos fortiter dissipauit, verumque Dei cultum grauibus edictis, stabiliuit. Eius vestigia successores fideliter sunt securi, remque Christianam, variis decretis in regno prorsus confirmarunt.\*\* Hic tamen

\* Recitat aliqua BONFIN. Dec. II. l. II. INCHOE. ad an. 1048. et THUROcz. l. c. P. II. c. 42. ALOLD de PEKLARN ad an. 1047. et 1048. et 1049.

\*\* Vid. THUROcz. l. c. c. 46. BONFIN. Dec. II. l. III. RANZAN. indice X.

tamen quoniam explicandum nobis est, quomodo superstitionibus obscurorum seculorum religio etiam inter nos contaminata est, rem altius repetentes, dolendum esse notamus: optimos illos ac pios principes, .S. STEPHANVM, ANDREAM I. BELAM I. S. LA- DISLAVM, ANDREAM II. aliosque in illa plane incidisset tempora, quae sti asperitate ac boni sterilitate ferrea, ob malorum excre- scentiam, plumbea, et ob prauos cleri mores, pessima, ipsis etiam cordatioribus Pontificiis dicuntur.\* Quamuis enim sub con- uersionis initium nulla Romani Pontificis aut certe exigua apud nostros auctoritas fuerit, tamen clerus occidentalis ecclesiae, certa- tim quasi in Vngariam affluens, non multo post tempore, reue- rentiam erga romanam sedem, ita instillare nouit Vngaris, vt elapso vno alteroue seculo non tam Christo, quam romano pontifici ad- ducti viderentur esse Vngari. Creuit dominatus cleri quotidie et quidem hoc modo: Infinita illorum temporum bella, oppresserunt litteras, ita vt soli monachi, in antris suis latitantes, eas qualiter- cunque tractarent. Auctoritatem ea res ipsis conciliauit, reddi- ditque superbiores. Seruiebant illi temporibus nec intermiserunt quidquam quo quidem auctoritatem suam magis magisque auge- rent. Omnia ipsorum dicta rudis populus ceu euangelia amplexus est: fabularum haec fuit occasio comparatarum ad gloriam cleri maiorem. Si qui etiam cordatores se opponere ausi sunt, illi mox turpiter ubiuis traducebantur, putrida ecclesiae membra diceban- tur, et quia historiam illi propemodum soli conscribebant, exosos quosuis sibi, omni infamia ad ipsam etiam posteritatem notatos transmiserunt. Fregit hoc fortis etiam animos, silentiumque im-

## C 3

po-

\* Fatetur id BELLARMINVS in conc. 28. de dominica Laetare opp. Col. 1617. edit. T. 6. p. 269. *Annis aliquot antequam Lutherana haeresis nulla fer- me erat nulla inquam prope erat in iudiciis ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in S. litteris eruditio, nulla in rebus di- uinis reverentia, nulla propemodum religio.*

posuit. **Contra**, quotquot clerum coluere, templa ac coenobia vel erexerunt, vel redditibus donarunt, hi optimi audiebant christiani, hi voce et calamo dilaudabantur. Absoluta est quam paucis hactenus delibauimus hierarchia per expeditiones sic dictas cruciatas.\*

§. 2.

Atque his quoque artibus ius conferendi beneficia ecclesiastica, constituendi et inaugurandi antiuitates, sic dictis Laicis extorsum est. Primum quidem priuatis, per Episcopos et Archiepiscopos, mox etiam regibus et principibus, per Pontifices Romanos. Amiserunt sane reges etiam Vngariae potestatem indicendorum synodorum, illisque praesidendi, seculo praecipue XIII. et confirmationis auctoritatem in beneficiis ecclesiasticis. Scripsisse grauem **COLOMANNVS** rex perhibetur epistolam ad **PASCHALEM II.** Pontificem Romanum, in qua uestituram Episcoporum ita eidem denegat, ut regibus Vngariae propriam vindicet.\*\* Vtinam successores ipsius iuri suo fortiter inhaesissent, verum quis illis temporibus fortiter satis resistere Clero potuit. **LADISLAVS** quidem III. ius vindicare suum sibi post liminio conabatur, cum an. 1279. a **PHILIPPO FIRMANO**, sedis apostolicae legato, concilium nationale indictum esset **BVDAE** in grande regis praeiudicium. Rex tamen eundem hoc in proposito sacro turbabat, et praetori **BVDENSI** iuxta ac ciuibus dabat in mandatis, ne patres ad castrum **BVDENSE** admitterent, neue res eis necessarias suppeditarent;\*\*\* sed nihil

\* Quae **SCHMEIZELIVS** noster in tractatu suo supra iam citato, de stupenda ignorantia temporum illorum in **Transylvania**, pag. 18. et 19. prolixius enarrat, in Vngariam etiam quadrare possunt.

\*\* Vid. **LAMPII** hist. eccl. reforin. p. 33. Proximum morti vero renunciasse iuri, uestiendi episcopos per annulum et baculum, fuse **KOLLARIUS** ostendit in hist. diplom. iur. patr. I. II. c. 12. ubi etiam ipsum instrumentum renunciationis adducit.

\*\*\* Faretur id ipse rex in documento quod **RAYNALD** commemorat et ex eodem **KOLLAR.** in histor. iuris Patr. I. III. c. 3.

profecit infelicissimis illis temporibus. Quinimmo animaduersio-  
nem incurrit Romani Pontificis, adeo ut ad 100. marcas argenti  
annis singulis pendendas damnaretur. Hinc concilium Posoniense  
plena iam auctoritate indixit Romanus Pontifex, quod celebratum  
est an. 1309. a gentis Cardinali, sedis Apostolicae legato. Confir-  
matum vero est a CLEMENTE VI. an. 1346. In hoc concilio sic  
iam stabilita est auctoritas Papae ut magis non potuit.

### §. 2.

Miseram religionis faciem illis temporibus fuisse vel vnum il-  
lud testimonio esse potest, quod versione Bibliorum hungarica  
gens nostra, ante reformationem LVTHERI prorsus caruerit. Pro-  
diit tandem an. 1541. NEONESII (*Vj-szigeth*) in oppido *Thomae a Nadasd*, Consiliario regis ac Comite Comitatus Castriferrei ut  
et Thauernicorum regalium magistro, summis eius impensis, No-  
uum Testamentum Vngaricum, procurante hanc editionem ver-  
sionis IOANNE SYLVESTRO.\* Catholici enim usque ad an. 1563.  
nul-

\* SYLVESTER IOANNES, quid hominis fuerit nusquam adhuc reperire potui.  
Vidi editionem, sed exemplum titulo carebat. Dedicauerat editor opus hoc  
FERDINANDO Regi Romanorum, Vng. et Boh. &c. Ad calcem libri legi-  
tur: Vj-Sziedben Abadi Benedek nyontatta vala 1541. esztendöben. No-  
tandum tamen quod pro hodiernis characteribus gy, ny, ille scribat g, n,  
longum vero a, quod hodie Vngari scribunt a ille expressit a. Puto ego aucto-  
rem, si Vngarus fuit, quod ex dedicatione omnino patescit, dictum fuisse SZIL-  
VASSY aut forte SERESTELY. Quae coniectura propterea notanda est, si  
forte auctor sub posteriore hoc nomine detegi possit. Antecessit editionem hanc  
Noui Testimenti, auctoris eiusdem Grammatica Vngaro Latina. Neonesii 1539.  
in 8. Vid. Bibliothecam Baumgartenianam P. II. p. 306. Primus tamen  
omnium non est, liber hic, qui in Vngaria idiomate Vngarico impressus est,  
cum ante hunc iam STEPHANVS BEYTHE concionator aulicus Comitis  
BALTHASAR DE BATTHYAN, Floram Vngaricam, idiomate Vngarico  
an. 1528. Németh Vjvarini in 8. ediderit. Vid. MSS. GEORG. ERICK  
WEISBECK, epistolam de eruditis Vngariae, p. 4. ex qua excerpta non-  
nulla possideo.



nullum adhuc in Vngaria typographeum habuerunt.\* Demum an. 1607. Psalterium Vngaricum prodiit Herbornae in 12. Integra hinc Biblia secuta sunt Hannouiae an. 1608. in 4. et Oppenheimii an. 1618. Pudorem haec exempla incussere Iesuuitis. Quare ipsi etiam versionem adornarunt, ac Viennae Austriae excudi curarunt an. 1626. in fol. Pudeat tamen etiam Vngaros Augustanae Confessionis inuariatae addictos, qui nullam hucusque producere versionem Bibliorum integrum Vngaricam possunt. Reliquas editiones, quae priores secutae sunt, non moramur.\*\*

#### §. 4.

Quae cum ita sint, non est quod miremur, Hungaros nostros, tot res, praeter auctoritatem scripturae sacrae in ecclesiis suis, suadentibus monachis recepisse. Quo spectat imprimis cultus *B. Virginis Mariae*, qui inter nostros usque adeo inoleuit, ut sui suique regni Patronam ac Deam tutelarem eam sibi deligerent. Eius quidem tutelae regnum suum primus commisisse dicitur, S. STEPHANVS auctoritate CHARTVITII: non carere tamen traditionem hanc suspicione, supra iam obseruauimus. Illud extra dubium est, exstructa per totum regnum eius in honorem templaque esse;\*\*\* nummosque etiam eius effigie adhuc hodie signari et ceu Patronae Vngariae consecrari. De qua effigie hic quasi aliud

agen-

\* Fatetur id ipse TIMON Iesuuita in Appendice ad epitom. chronol. p. 406.

\*\* Plura de editionibus bibliorum legesis, in Le Long Bibliotheca sacra. CONF. CZWLTTINGERVM in historia eius litt. Hung. sub tit. KAROLY, ut et cuitusdam Prof. Altdorfens. tractat. von den verschiedenen Ungarischen Bibels. ausgaben. Nec omittenda sunt quae SALIGIVS in seiner Historie der Augsb. Confession. P. III. dicit.

\*\*\* Ex hoc capite mirum in modum Vngariam laudat INCHOFERVS in Apparatu ad Anna'. Eccl. praemissio. p. 21 seqq.

agendo notamus: primum eam expressam videri in aureis nummis MATTHIAE CORVINT, qui mos ad praesens usque tempus post illa obtinuit; ita tamen ut icon variata subinde fuerit. Nam usque ad tempora RUDOLPHI II. mater Maria dextro brachio infantulum tenens cernitur, ceterum sine sceptro: ab aetate vero RUDOLPHI videre licet infantulum sinistro in brachio, in dextra sceptrum, et tota imago radiis coruscans.\*

## §. 5.

Nec satis erat B. Virginem diuino fere cultu coluisse, addita insuper fuit multorum aliorum veneratio sanctorum. \*\* Et si omnia quae de eis traduntur, vera sunt, longis sine dubio spatiis sancti sanctaeque posteriorem reliquerunt Christum una cum Apostolis tam vitae sanctimonia, quam miraculorum perpetratione. Nec tamen sufficiebat sanctorum indigenorum numerus, licet tot fere sancti essent, quot reges in clerum benefici, tot sanctae quot regum filiae in Monachos liberales; quin augendus etiam erat exterorum cultu, ut misera gens Vngariae distenta sanctorum cultu, non dicam a laboribus suis, sed ab ipso genuino cultu abstraheretur. Praecipui in sanctis Vngarorum numerantur, \*\*\* STEPHANVS I. eius filius EMERICVS, eius vxor GISELA, GERHARDVS episcopo.

\* Vidi tamen et MATTHIAE CORVINT et quod magis BETHLEENII aureos, in quibus Maria infantulum in sinistris gerit: non ergo olim ad haec animum multum attendisse videntur nostrates.

\*\* Sanctorum classes designat INCHOFERVS l. c. variis locis, et cum primis catalogum sanctorum contexit SIGISM. FERRARIUS in tractatu de rebus Vngaricae Provinciae Ordinis Predicatorum, et Pater MARTINVS SZENTIVANY in Miscellan. Dec. II. Part. I. Dissert. Horographia de Vngaria §. 3. conf. HANNERVS l. c. p. 73 seqq. 100 seqq. Acta sanctorum Antwerpensis l. c.

\*\*\* Vid. Decret. I. S. LADISLAI c. 38. ubi festos dies, qui celebrari debeant decernit.

D

scopus Csanadiensis, qui sub prima Vngarorum defectione a fide christiana, temporibus ANDREAE et LEVENTHAE occubuit. KV-NEGUNDIS, vxor BOLESLAI PUDICIS regis Poloniae, quocum tamen in virginitate per annos 40. vixisse perhibetur, filia fuit BEATAE IV. ELISABETHA vxor LUDOVICI IV. Landgrafii Thuringiae, filia ANDREAE II. a GREGORIO IX. sanctis adscripta. Et qui primo loco ponendus erat S. LADISLAVS, qui an. 1192. Romae a COELESTINO Papa inter Diuos ritu cultuque solemni relatus est;\* cuius tanta fuit veneratio, ut successores monetam auream iuxta ac argenteam, ipsius effigie ac nomine signarent. Observatum illud videmus in aureis a LUDOVICI I. temporibus ad RUDOLPHUM II. cuius successores MATTHIAS II. et reliqui, omissa S. LADISLAV effigie suas substituerunt imagines.

### §. 6.

Plura de facie religionis illorum temporum non liber commemorare. Durauit ea pertinaciter usque ad seculi XVI. initium, quo contra omnium hominum spem et opinionem MARTINVS LV-THERVS exsigeret, reformationem susciperet multorum ante ipsum piorum precibus frustra desideratam.\*\* Factum hinc ut successore in Vngariam quoque lux Euangeli, per LEONHARDVM STÖCKELIVM, LUTHERI PHILIPPIQUE discipulum penetra-  
ret,\*\*\* et a Bartfensibus primum reciperetur.

\* Thom. Archidiac. SPALAT. c. 42. male actum hunc solennem INNOCENTIO tribuit. Conf. FRAU l. c. p. 180.

\*\* Descripsit id eleganti tractatu SECKENDORFIVS in historia Lutheranismi, cui adiungatur TENZELIVS im historischen Bericht vom Anfang und Fortgang der Reformation.

\*\*\* Vberius vitam LEONHARDI STÖCKELIT exposuit KLEINIUS in Orat. Rintelii an. 1769. habita, sub tit. Leonhardus Stöckelius communis Vngariae praceptor. Quae in hac oratione occurunt, maxima ex parte auctor collegerat ex MSS. Xylandrino.